

M I M

1 6 4 8



~~C. 6. 5~~
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii
Regii Glauchensi

QVAS CONJUGII AUCTOR
ET ARCHITECTUS

DEUS Opt. Max.

auspicatissimas esse jubeat,
NOVIS NUPTIIS

Clarissimi & Præstantissimi Juvenis

DN. ANDREÆ LINDHOLZI

J. U. Candidati: in dicafterio
Electorali

COLONIAE AD SPREAM
caussarum Patroni disertissimi

cum

*Honestissima & Pudicissima
Virgine*

URSULA,

VIRI

*Spectatissimi, Virtutis, fidei, & integritatis
laude ornatissimi*

DN. BALDASSARIS STRIPII,

Præfecti Electoralis in opido Arndsee

filiâ dilectissimâ,
BEROLINI

*3. KL. Septembreis celebrandis
dicata*

Votivorum carminum
triga.

FRANCOFURTI AD ODERAM
Excudebat

FRIDERICUS Hartman / TYPOGRAPHUS
& Bibliopola.

Anno M. DC. XXX.

*autore Joanne Mollero Casn.
Sil. trium illorum adole.
scentiæ pceptore E.F.*

at.
ma
atur.

on est
NA vicens.

in Sil LL. S...

hæbi,

lucet,

is,

s apponebat





INDHOLZI fulgens & avito

laudis honore, (parit.

Et proprio, virtus quem tibi clara

Dum gemini pernox & perdius abdi-
ta juris (pe,

Rimare, & studii quærere pergis o-

Sive iter emensus mergatur in æquora ponti,

Seu rubeat lotis mane reversus equis,

Phœbus inhærentem pluteis vigilare tuetur

Immersum mediis nocte dieque libris.

Roscida miratur vigilatas Cynthia noctes,

Quæque soporiferâ lumina nocte micant.

Non tibi deficiunt unctæ de nocte lucernæ,

Plus olei impendis quam repleare mero.

Quicquid habent sanctæ Digesto Codice leges,

Quicquid Pontificum jura recocta foco,

Et quæ nummatus reddunt feudalia, cuncta.

Unguibus & digitis sunt mage nota tibi.

Perpetuo Proculos audis certare Sabinis

Atque in se legum tela vibrare legis.

Nec tantum lustras viridantes floribus hortos,

Rivus ubi lymphâ lene-loquace crepat:

Non solos tractas heroas juris, in ipsum

Admisit Nomice quos penetrare dea.

Qualis erat quondam fidissima dextra Severi,

Ulpianus, qualis Papinianus erat;

Cuique dedit cultum veneranda Modestia nomen,

Scævola cum Paulo, Salvius, Aufidius,

Con plures alii, quorum neque nomina fando,

Sed nec honorando promere cuncta queam,

A 2

Ponde-

Pondera quæ rerum cultis sermonibus æquant,
Et terete eloquio quod voluere, docent.
Conspicuas veluti liquidissimus amnis arenas
Proluit, ex imo lucidus ipse solo.
Verum etiam interdum rigidis loca sentibus hirta,
Scruposaque juvat te peragrarè vias,
Rarus ubi cultus, liquidi neque garrula rivi
Gratia, sed cœno stat viridante palus,
Intortos sinuant ubi multa ambagine flexus,
Et cursu gaudent liberiore vagi,
Baldus, Alexander, Raphael, Riminaldus, Jason,
Quoque tuum ponam, Bartole, syrma loco?
Cætera nec memini contortuplicata virorum
Nômina, vix Pediâ lege referre licet.
Fercula qui portant sordente adipata catino,
Et tunicâ Themidem sordidiore tegunt,
Verborumque vomunt portenta immania, credo,
Commodius ruderet quod molitoris equus,
Et mera glossarum cudunt oracula, quæ nec
Percipere aut luci possit Apollo dare,
Tu tamen hoc etiam de stercore colligis aurum,
Nil illibatum mens generosa sinit.
Quæ possint trepido sollers prodesse clienti,
Dispicias, in succum & vertere sangven amas.
His adeò vigilat dum mens exercita curis,
Electoralis linguam acuisque foro:
Sæpè puellari dea te Cytheréis amore
Tentavit, tacitas subdere nisa faces,
Sæpius irrisa est, spretique Cupidinis arcus,
Dum placita est oculis atque animo una Themis.
Imperium temni tulit haud Amathusia diva,
Ob Venerem spretam tuque dolebis, ait.

Hærebat

Hærebat lateritum forte deunculus ales,
Ut matri assiduus suevit adesse comes;
Talibus affatur sobolem; mea, nate, voluptas
Et manus imperii dextra vigorque mei,
Si te verus amor tangit, si cura parentis
Si que meo haustisti pectore lactis opem:
Aspice, nos quanto temnat LINDHOLZIUS ausu,
Excutiatque, dii quod subiere, jugum.
Quæ fuerit tandem nostri reverentia terris?
Sic regnum nobis mox sociale cadet.
Ludibrium pueris fitemus, fabula vulgo,
Et quatient forsán Numina nostra foràs.
Ne derisores nostri patiamur inultos,
Discat ut exemplo quisque cavere sibi.
I cape tela, quibus scis vincere cuncta, Cupido,
Et quibus astricolæ succubere dii,
I pete vulnificâ corpus juvenile sagittâ,
Sentiat imperium non mediocre tibi.
Dixerat, è pharetra volucrem capit ille sagittam,
Quâ nulla è cunctis certius ire queat,
Dirigit in juvenem flexo certissimus arcu,
Inque cor est pennis acta sagitta tenus.
Expavit juvenis, jaculumque evellere frustra
Nititur, admordet cuspis acuta jecur,
Nec secus, ac capiunt vivacia sulphura flammæ,
Ardet, ut accensis flagrat arista focis.
Parce, puer, clamat, sævoque medere dolori,
Nunc ego nunc vires spernere cesso tuas.
Audiit, occultâ latitans in parte Cupido,
Risit, & hunc tandem sic miseratus, ait:

A 3

Quo



Quo te percussi, rursus sanaberis arcu,
Venit ab Arnoldi virgo venusta lacu,
Virgo Stripiadam laudato stemmate nata,
Illa puellaris gemma corusca chori,
Quæ geminos tecum mox faxo sentiat ignes,
Ardebit jaculo saucia virgo meo.
Nec metuas nomen, LUSURA est URSULA tecum,
Non semper quadrant omina nominibus.
Sic ait, & telum cum dicto sumsit acutum
Transfixitque tuum casta puella latus,
Carperis igne novo, sentisque in pectore flammæ,
Æstuat ANDREAS rursus amore tui,
Quam nihil hæc dispar deus ales arundine fixit!
Forma, genus, census, convenienter eunt.
Sic committit Amor firmo duo pectora nexu,
Unanimique ligat consociata fide.
Et jam fama ferit certis auctoribus aures,
Hæc ubi vitiferos Odera radit agros,
Auspiciis lucem melioribus ire petitam,
Cum junget dextras connubialis Hymen.
Murmure quæ rauco vitreis Sprea cæculus undis
Labitur, & stringit cornibus arva suis,
Torquet ubi sceptrum Septemvir Marchidos oræ,
Brennonis celebri nomen ab urbe gerens.
O digno conjuncta viro, formosula virgo,
Cui meritum grandi surgit ab arte decus.
Aspice fundentem graviori verba cothurno,
Cui tinxit linguam flumine Suada suo.
Quid genus atque domus antiquæ stemmata dicam?
Dicere condignè nostra Thalia nequit.

Vivent

Vivent LINDHOLZI, dum cœli volvitur orbis,
Lumina clara togâ, lumina clara sago.
Tu quoque ter felix formosâ Sponse maritâ,
Cui splendet roseo Gratia ab ore triplex.
Sicut ubi pulsus exit Palantias astris
Aut profert nitidum Cynthia nube caput.
Ecquis facundæ tam pollet munere lingvæ,
Audeat ut Stripium tollere laude genus?
Consiliis crescit regalis principis aula
Stripiadum, & laudem dexteritatis habent.
O tria Principibus dignissima lumina, fratres
Vivite, perpetuo floreat auctus honor.
At tu cum Sponsâ Sponse ô lectissime vive,
Circumstent vestrum prospera quæque torum?
Fiatis fausti numerosâ prole parentes,
Quæ generi æternum sit paritura decus.
Esse solet sterilis nec fructus gnara ferendi,
Non appellatâ quæ venit arbor humo,
Si tamen huic calamos alienâ ex arbore adoptes,
Et doceas udo rectè inolere libro;
Efferet ad cœlum ramos speciosa comantes,
Fronibus & pomis facta superba novis:
Sic ubi connubii quis degit legibus expers,
Est sterilis merito & fraudus honore jacet,
Ast ubi conjugii sociam sibi fœdere jungit,
Multa dabit cœlo pignora, multa solo,
In quibus æternos tandem experietur honores,
In quibus & sua post fata superstes erit.
Faxit ô æterni suprema potentia Regis,
Nil ego quam votum ferre fidele queo.

BALDASSAR-ABRAHAMUS

à Röckwitz.



It boni conjux roseis evecta quadrigis
 Nocte refert pulsà sideribusq; diem,
 Quem desideris arcessere saepe solebas,
 Solis equos multum tardiùs ire querens,
 Quo novus incipies, ANDREA, audire maritus,
 Inq; manum veniet virgo pudica tuam,
 Qua tibi Marchiacis selecta est una puellis,
 Et qua te cunctis pratulit ipsa procis,
 Qua tua deflectit pudibundo lumina vultu,
 Cuius & ingenuo semper amore cales.
 O factum bellè! casti DEUS auctor amoris
 Has inculpato suscitât igne faces,
 Fœdera cûi primum lecti sancita jugalis,
 Corpora ut eternùm mens liget una duo.
 Sanxit, ut auferent numerofo semine terras
 Legitimo juncti foemina masq; toro,
 Alter ut alterius res aut lenire molestas,
 Et contra letis participare queat.
 Te ne juvet quicquam, si copia cuncta bonorum
 Adfluat, & puppim vela secunda ferant?
 Si tibi vel toto pateat fortuna paratu
 Prospera, perq; meras si gradiare rosas:
 Si tibi defuerit, qui cum partire faventis
 Munera fortunae deliciosa queas:
 Hac mihi prosperitas vili nec vneat asse,
 Quam solus tacito cogar habere sinu.
 Laticia siquidem consorte ac teste carere
 Momentum taciti grande doloris habet:
 At patefacta aliis sumit magmenta voluptas,
 Atq; incrementis est geminata suis,

Sicut

*Sicut ubi radios Hyperione natus in aurum
Spargit, habet lumen bractea fulva duplex.
Atq; ex transverso pars non temnenda dolori
Defluit, à socio si minuatur onus.
Est etiam interdum nonnulla dolere voluptas,
Atq; in amicorum flere queriq; sinu:
Sic cordis fuligo omnis dispellitur extra,
Strangulat inclusus pectora mœsta dolor.
Cui vero ex cunctis committere tutius ausis,
Juxta cum lepidis seria mista jocis:
Quam tibi si thalamo veniat formosula conjux,
Fortuna tecum ferre parata vices.
Huic totos animi poteris aperire recessus,
Hujus & in tepido ponere cuncta sinu.
Si quid erit latum quo te Fortuna beârit,
Adq; tuum votum prospera fata fluent,
Divide cum sociâ, partemq; revolvito ad illam,
Laticia pondus non mediocre dabit.
Sin verò (ast equidem vix audeo dicere, letis
Eminus à tædis tristia abesse decet.)
Sin verò quatiat celeres dea mobilis alas,
Ut solet in nullo fixa manere loco,
Et facie versâ piceis circumstrepet alis,
Agmina densa trabens ante retroq; mali,
Vix uno potes infelicior esse quadrante,
Rem rectâ cunctam si ratione putes.
Fortiter audebis gressum desigere contrâ,
Nec stabilem feriet sæva procella virum,
Cuncta resignabis propriâ virtute beatus,
Ausus & intrepidâ dicere mente vale,*

B

Cumq;



Cumq; tuâ risus agitans lususq; maritâ
Eludes cœca fulmina bruta dea.
Hac edulcabit curas sermone molestas,
Quæ tua sollicitis ignibus ossa coquunt,
Basilisq; tibi si quid mœroris adhasit
Eluet, ut memori dente labella notet.
Querquera te molli versat febricula lecto,
Non minus ac Rhondes Icadiusq; gravis,
Protinus illa feret medicati pocula succi,
Et partes medici prompta fidelis aget,
Ventulo & incensos facto solabitur æstus,
Lene susurranti voce levabit onus.
Quid? quod ubi studium deposcit cura virilis,
Semper ad abjectos ne redigare lares,
Illa subire viccs, teq; isto fasce levare,
Et studio poterit lucra juvare domûs.
Mane prius tepido subducit membra cubili,
Quam pedibus pulsent atbera solis equi,
Distribuit famulis escas, operiq; gerendo
Incitat, exemplo quos præt ipse suo,
Arva dato precio Cerealibus inclytâ donis
Præstinat, & pingvis jugera culta soli,
Quæ spem non fallant avidi benè culta coloni,
Frumentiq; ferant stramina cassa loco,
Sed quæ depositum multo cum fœnore reddant
Seminium, & reditu spem superare queant.
Amplaq; distendant ingentes horrea messes,
E quibus innumera mox pariantur opes.
Mite solum Baccho & colles investit apricos,
Unde fluant pleno musta rubella lacu,

Vitæ

Vitigenusq³ intra populantes igne medullam
Discutiat curas disjiciatq³ latex.
Incedit Trivia ritu succincta, fluentem
Mordaci vestem fibula dente capit,
Brachia protendens grato est intenta labori,
Et digitis sollers dulce prebendit opus,
Continuatq³ diem nocti noctemq³ diei
Et famulas inter mista laborat hera
Lampade damna brevis reparat splendente diei,
Et trahit ad seros mollia pensa focos,
Si quem pauperies gravis immoderatus urit,
Munificam victum spargit & ara manu,
Et mutat pingvi depexam veste lacernam,
Ne misero hybernum possit obesse gelu,
Sub tunica credens levidensi pascere Christum,
Sic docta est sacris quos terit usq³ libris.
Nec pluvium metuit coelum, neq³ ningvida curat
Vellera, queis Boreas obruit asper humum,
Namq³ domum duplex munit lorica decoram,
Ne possint imbres, ne penetrare Noti.
Jamq³ colu nupta pregnantis pendula fuso
Fila trabens, agili pollice format opus,
Exequans morsu non-levia fila tenello
Exonerat plenas Pallade digna colus.
Jam molles plaudens resonanti pectine telas,
Mæoniâ insignem conficit arte togam,
Quâ proceres inter coniux clarissimus omnes
Enitet, addit ei nupta pudica decus.
Et picturatos callet densare tapetas,
Invida quos etiam Lyda puella probet,

Mollia marmoreum velant multitia corpus,
Netaq; bombycum serica blatta colu,
Sidonioq; gerit fucatam murice vestem,
Qui color est, qualem pingit in ore pudor,
Nec matronalis cultus studiosior ulla est,
Dum squallere negat turpis & birta situ,
Hospitii gaudet morum splendore venustas,
Et micat innocuus veste nitente pudor.
Talis inest roseo ridentis in ore voluptas,
Quale nitent Paphiis lilia mista rosis:
Tanta est ambrosia dulcedo leposq; loquela,
Ut mera de tenero gutture mella cadant.
Elucet dictis sexu sapientia major,
Fundit ubi dulces Svada venusta sonos.
Cauta domi servat, quarecta secusve gerantur,
Incolumem quatiant ne malè facta domum.
Desidia fugitans turpemq; perosa veternum,
Non fuci panem turpis adinstar edit,
Una illi requies non indulgere quieti,
Nec langvet multo fracta labore manus.
Quasitas ita semper opes cumulare laborat,
Fertur ut in vasto navis onusta mari,
Qua nihil à scopulis timet aut Aquilone pericli,
Ast impune redit mercibus aucta domum.
Educit sobolem ritu felicitis oliva,
Qua matrem celebri laude beabit anum;
Et quia constanti veneratur amore maritum,
Laudis ab hocmerita premia digna capit.
Quarit opes alius, congestosq; aris acervos,
Sub juga dotata mox abiturus heras

Quam

Quam malè junguntur vili connubia nummo,
 Et dominæ res est nubere fœda virum.
 Cuncta marito sunt digna, indigna ferenda,
 Cui Tanquilleges imperiosa facit.
 Blanda movent alium forma simulacra venusta,
 Candori niveo mistus in ore rubor:
 Qualia picta vides nudorum corpora Amorum,
 Et velut auctumno candida poma rubent.
 Sed fragilis quoque forma perit, neque fixa perennat,
 Quam morbi violant, imminuuntque dies.
 Quo magis illa potest nomenque decusque mereri,
 Sincera Numen qua pietate colit.
 Famine juridicis celebrabitur incluta portis,
 Hoc parient illi splendida facta decus.
 Vincit Erythraeos rara virtute lapillos,
 Sardonychas, Smaragdos, Jaspidas & Cyanos.
 Tanta canit laudum castæ præconia nuptæ
 Musa Davidiada plectro animata sacro.
 Felix, divino cui munere contigit, ædum
 Conjuge eum tali disposuisse datum!
 Infelix contra qui blanda conjugis expers
 Canet, & in vacuo secubat usque toro.
 Ulmus ut apricis stat planè ingloria pratis,
 Ramorumque unâ prosperitate tumet,
 Quod si serpentes doceas conscendere vites:
 Magnus erit sterili conciliatus honos,
 Plusque maritata miramur in arbore vitem,
 Quam si declivi strata jaceret agro:
 Sic ubi vir thalami vitam sine compare ducit,
 Destituit fragilem firma columna domum.



*Mox ubi luētantes concurrunt turbine venti,
 In terram magno lapsa sonore ruit. fracta
 Tristis amaror inest vita, si mustea conjux
 Quae fel dulciculo neētare fallat, abest:
 Adde quod & patriam, vitā qui se iuge gaudet,
 Negligat, hūic prolis pignora grata negans.
 Inunc & vitā quasi cœlite cœlibe gaude,
 Legitimi videns jura marita tori.
 Mollior & melior tibi mens, Ad finis, inberet,
 Mollia conjugii vincula quando subis.
 En germana tibi mea jungitur uxor ad aras,
 Germana bis oculis plus adamata soror.
 Gaudia quo prodam uibi subnaſcentia vultu,
 Quo faciam pulcro carmine vota pari?
 Fescennina procul sint auribus improba castis
 Nupta meos mores nam neq; verba decent,
 Numen ego precibus veneror cœleste pudicis,
 Fuſſit enim castas pondus habere preces.
 Qui stimulos vobis liciti ſuggeſſit amoris,
 Conjugio adſpiret prospera quaeq; DEUS,
 Candida connectat pariles concordia mentes,
 Conjunctosq; animos mutuus ignis edat.
 Sponse tuā gaude Sponsā, tua cura ſit illa,
 ANDREA, fauſtā qua tibi nubit ave.
 Nunc licet admotis incingere colla lacertis,
 Oscula cum dederis, ſumere plura licet.
 Tu quoq; praclaro gaudebis Sponsa marito,
 Legibus optati vivere docta viri
 Quem gemini decorat laudata peritia juris,
 Quiq; cluit ſtreperi gloria magna fori,*

Felices

*Felices ambo traducite molliter ævum,
Et fallant longos oscula mille dies;
Qualia Chaonia pangunt sibi densa columba,
Conjugii præbent quæ simulaera pit.
Sic ubi jam decies complerit cornua Phœbe,
Auribus adveniat nuncius iste meis:
ANDRÆ natum Stripiã de matre puellum,
Matri delicias, grandia vota patri.
Ipse ego adhuc juvenis vocitabor avunculus, atq;
Grandior in chara prole sororis ero.
Sic ego chara soror Sponsaq; tibiq; volebam,
Atq; hoc ut facerem me meus egit amor.
Tu licet adsuefcas uxor jam fida vocari,
Optima desistas ne tamen esse soror.*

BALDASSAR STRIPIUS
Sponsæ Frater.

III.

Descende Musa monte de bivertice,
Thalia labris dulce destillantibus,
Affunde carmen, quo novas LINDHOLZIO
Viro eleganti, sedulo, politulo
Cum virginellâ Stripiã venustulâ,
Quam multa virtus & pudicorum colit
Morum nitela multiplex, te possiem
Movente plectra gratulari nuptias.
Sic vester olim pectine arguto chelyn
Apollo præses perculit, cum cœrulo
Rectori aquarum nuberet Nereia;
Sic & canoram verberabant inclytæ
Lyram sorores, cum marinam duceret
Parens Achillis inclutus Peleus Thetin.

Probat

Probat pudicas promovetque nuptias
 Cœlestis Auctor, afficitque commodis
 Prece inchoatas sedulâ quamplurimis.
 Largâ refundit divitem penum manu,
 Malum repellit, res secundas exhibet,
 Mulcetque tristes & benignè mitigat,
 Opemque præbet usque præsentaneam
 Ut vitis uvis eminent turgentibus,
 Domumque læto plurimum ornat palmite
 Sublime docta repere ad fastigium.
 Ut læta ramis intumet florentibus
 Arbor Minervæ fertque fructus uberes:
 Fœcunda conjux sic jugalis pignora
 Fert multa lecti, quæ domum venustius
 Ornent beatam blandulis amoribus,
 Distincta multo quam colore stragula.
 Hæc tanta vestro cœlitus connubio,
 Multoque dentur me precante pluria,
 Quod non libido turpibus flagrans focus
 Verum pudici mutuus amor pectoris
 Vos junxit inter castitate pronubâ
 DEIque nutu, qui gubernat omnia,
 Ille ille amores augeat reciprocos
 Et corda flammis mutuis agglutinet.
 Nutrice pulsâ jurgiorum turbidâ
 Pax una cunctis affluens regnet bonis.
 Sic ò beatis implicati amoribus
 Annos trisecli degitote Nestoris.

CONRADUS BORNSTÄD
 VVitstoch. March.



Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciborow.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quos Deus Autor,
Cui te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi sine fultus
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locupletem Suada,

SPIRITUS Orator caelicus ille, tuam.

Seminum disperge DEI per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta DEI assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

BAPTISTAM ex cathedra BAPTISTA imitare tonantem

GEBELI! vera pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quos sacra dicta feres.

Sublatiq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene sero) tuis,

Cum tuba te rupta tumba revocabit ab umbris,

IOVA, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosia rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati praemia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

JANE mihi multo n nomine chara! VACE.

ULB Halle

3

002 062 674



IN FUGII AUCTOR
ARCHITECTUS

Opt. Max.

tissimas esse jubeat,
OVIS NUPTIIS

Præstantissimi Juvenis

REÆ LINDHOLZI

didati: in dicafterio

Electoralis

IAE AD SPREAM

Patroni disertissimi

cum

ima & Pudicissima

Virgine

RSULA,

VIRI

irtutis, fidei, & integritatis

ude ornatissimi

ASSARIS STRIPII,

toralis in opido Urndsee

ia dilectissimâ,

BEROLINI

ptembreis celebrandis

dicata

vorum carminum

triga.

FURTI AD ODERAM

Excudebat

Hartman / TYPOGRAPHUS

& Bibliopola.

M. DC. XXX,

*autore Joanne Mollero (rasn.)
Sil. trium illorum a sole
scentia pceptore e. f.*

